


imp-  
e

m  
145





---

# EPISTOLA GRATVATORIA

---

QVA

VIRO PRAENOBLISSIMO

AT QVE

DOCTISSIMO

RVDOLPHO IO. WILHELMO

THYM

MAGDEBURGICO

DE

SPECIMINE IN AVGVRALI

GRATVLATVR

---

Ko 1984

PAVCISQVE

QVOD

POTESTAS IVRISDICTIONIS PATRIMONIALIS  
MAIOR SIT QVAM MAGISTRATVVM

EDISSERET

GEBHARDVS LÜPKE

HAMBVRGENSIS

---

HALAE MAGDEBURGICAE

Impressit CHRISTOPHORVS PETRVS FRANCK, VNIV. TYPOGR.

[cum 1745]

6





A nimaduerto, AMICE, omne gratulationis scriptum  
in duas diuīsum esse partes, quarum altera ratio-  
nem gratulandi, altera vero ipsam gratulationem  
in se continere debet. Hoc TIBI animo gratu-  
landi scripsi. Itaque mihi eandem distributionem esse ob-  
seruandam, censeo. Annus, & quod excurrit, est praeter-  
lapsus, quo nobis primum specimen tuae eruditionis haud  
vulgare dedisti; Hodie T E iterum de iure primi fori locato-  
ris in conductorem inauguraliter differentem audio; Elegan-  
ter summaque cum eruditione ostendisti, competere locato-  
ri ius primae instantiae in conductorem, id, quod omnium  
applausu defendisti, e quo certamine T E secundam palmam  
eruditionis deportantem video. Quae cum omnibus tuis  
amicis caussae sunt gratulandi, me ad tantas gratulationes  
silere solum, impietatis partem existimau. Quamuis vero  
hise quoque caussis TIBI hoc scriptum gratulaturus tradam,  
non in eo verba eximia eruditionis tuae, tuaeque virtuti di-  
gna sed bonam saltem mentem, non more blatterantium

) 2

oratio-

orationem de coelo deductam, sed, vt amicum decet, pauca verba ex imo fluentia inuenies. Et cum me pudet, vna hacce propositione, *gratulor Tibi*, multis modis per omnes tropos & figuratas mutata hocce scriptum plenum **TIBI** offerre, peto abs **TE**, **AMICE**, vt mihi liceat gratulacioni praemittere, *quod potestas iurisdictionis patrimonialis maior sit, quam magistratum potestas.* Non est mei ingenii, non mei propositi **TIBI** aliquid noui dicendi, tuae benevolentiae tuae eruditionis est **AMICE** hanc meam musam benigne amplectendi atque souendi.

Haud dubito fore nonnullos, qui mirabuntur, quod, cum **TIBI** gratulandi caussa hoc scripsi, explicem rem a gratulatione remotam; Quibusque displicebit, me gratulacioni de qua mihi tanquam principali obiecto differendum erat alias cogitationes annexere. Sed cum in amicitia **TE** cum viuo, **TE** cum communico hasce cogitationes, & **TIBI AMICE** Institutum meum haud displicebit, de quo non dubito, sic nil me fecisse, nil commisisse aliorum censura dignum arbitror. Nam quot capita, tot sensus.

*Potestas* est facultas moralis agendi. Distinctionem haud ignoro inter facultatem naturalem seu imperfectam, quae ex natura nobis competit, quae nobis datur ad actus, quos humana vita desiderat, & facultatem ciuilem seu perfectam, quae nobis ex lege ciuili, beneficio, aut singulari priuilegio competit, vt alterum cogens, suo iure fecisse dici possit, sed cum lege ciuili ius imperfectum in perfectum eualefcere potest, vt Kulpisius in collegio suo Grotiano ostendit Exerc. 111. § 4. & 8. non in specie de hac vel illa facultate, sed in genere intelligo, si quis quamlibet facultatem moralem hoc vel illud agendi habet. Facultas moralis alias etiam dicitur ius. die Befugniſ, his cum itaque potestas eadem est.

Cum potestas est facultas moralis agendi, eo maior debet esse potestas, quo maiori facultate morali agendi quis gauderet,

der. Quis vero concipere nequit, quod facultas moralis com-  
mode diuidi possit in eius exercitium & in ipsam facultatem  
moralem agendi per se consideratam nullo habente respectu  
ad eius exercitium, & verissimum sit, illum, cui ipsa facul-  
tas moralis agendi eiusque exercitium soli in singulari com-  
petit, ita ut ratio cur potius sic quam aliter disponat, non  
in alterius, sed in ipsius agentis voluntate contineatur totam  
habere facultatem moralem. Is vero qui agit ex iure alte-  
rius, cuius ratio agendi non in sua sed in alterius voluntate  
continetur, exercitium solum modo facultatis moralis agen-  
di habet. Nemo negat totum maius esse sua parte. Nemo  
hac de re etiam inficias ire potest, quin ille, cui facultas  
moralis agendi soli in singulari competit, ita ut ratio cur  
potius sic quam aliter disponat non in alterius sed in ipsius  
agentis voluntate contineatur, maiorem habeat facultatem,  
quam qui iure alterius agit negotium gratis suscepit ita  
ut ratio, cur potius sic quam aliter agit non in sua sed alte-  
rius voluntate contineatur. Et cum facultas moralis agendi  
est potestas, ut sequatur necesse est illum hoc maiorem po-  
testatem habere, omnibus constat, illum *ex iure proprio pro*  
*arbitrio disponendi agere, hunc vero ex iure alieno pro alterius*  
*arbitrio disponendi agere quod gratis suscepit, & sic ille ex*  
*dominio hic ex mandato agit.* Quis non videt, ex supra di-  
ctis patere, *Potestatem quae ex dominio alicui competit maior-*  
*rem esse illa, quam quis non ex dominio sed ex mandato ha-*  
*bet.*

Quo posito, quod præmittendum est, vtrum, ex  
dominio, an, ex mandato iurisdictio patrimonialis alicui  
competat, enodabo paucis. Origenem suam non e iure  
romano sed germanico ducit. Et vera eius origo est illa  
potestas dominorum germanorum in seruos suos & libertos.  
Sed iramagis quam disciplina saeuiebant in seruos domini, si  
TACITO fides habenda. Quum hoc episcopi videntes ex-

communicatione biennii punirent, & paullo post cum non sufficeret tollere hanc barbariem, poena capitalis statuta est in dominum, qui seruum suum occiderat, quo facto, vt b. HEINECCIVS in diss. sua de origine atque indole iurisd. patrim. eleganter ostendit: *vt domini iurium suorum essent tenuiores, quam ut ea plane dimitterent; id sensim cepere consilii, ut non amplius per iram ac impetum in rusticos animaduerterent, sed, connuentibus principibus, caussas eorum paullo accuratius cognoscerent, ac demum ex prudentiorum consilio de iisdem statuerent.* Et cum haec iurisdictio cum patrimonio esset connexa patrimonialis merito adpellabatur. Extra omnis vero dubitationis aleam positum est, quemcunque in suum patrimonium eiusque connexa habere ius proprium pro arbitrio de illo disponendi & tale ius dominium dicitur. Quicquid vero cum patrimonio est connexum ex dominio nobis competit, consequitur; potestatem iurisdictionis patrimonialis alicui ex dominio competere.

Nunc mihi adhuc reliquum est ex principiis romanis deducendum, magistratus ex mandato suam habere potestatem. Non dico iurisdictionem habere mandatam in speciali sensu iuridico sumtam, quae alicui ab eo, qui *propriam* habet iurisdictionem conceditur, seu ab eo, qui habet iurisdictionem a superiore immediate sibi concessam: sed quod iurisdictionem iure alterius nempe summi imperantis exerceant illamque gratis suscipere debeant, & quia id notio *mandati* inuoluit, quod ex mandato, ex voluntate, delatione, & beneficio summi imperantis suam iurisdictionis potestatem habeant: Iam origine Romae Romulum mandasse potestatem iurisdictionis testat LIVIVS L. 1. c. 41. & statu populari populi mandato acceperunt magistratus suam potestatem eodem iure, quo procuratori dominium tradebatur a domino rei litigiosae l. 8. §. 3. D. mand. & in gene-re apud quem erat summum imperii, illum constituisse magistratus

gistratus romanorum omnibus constat; Spectat etiam ad  
hoc quod PAPINIANVS l. 1. D. offic. eius, cui mandata iu-  
risd. dixit, quod ordinariis magistratibus autoritas tribua-  
tur, lege, senatus consulto, vel principum constitutione pro  
diuersitate scilicet reipublicae romanae, regiae, popularis  
& imperatorii. Cum ita magistratibus potestas a summo  
imperante immediate est concessa, sequitur, propriam illos  
habere iurisdictionem. Id, quod PERILL. CANC. BOEH-  
MER in sua Introd. in ius D.L. II. T. I. §. 9. docet. Et cum  
iurisdictio semper competit superiori in quacunque republi-  
ca, quod ex politica constat: magistratibus vero a superio-  
re est concessa ut suam exerceant iurisdictionem, consequi-  
tur, *magistratus exercere suam iurisdictionem ex iure summi  
imperantis.* Qua de re, cum magistratibus non suo iure,  
sed iure superioris competit iurisdictio, facile concludi pot-  
est, *illos non de ea pro suo arbitrio disponere posse.* Itaque si  
dicitur, magistratus propriam habere iurisdictionem, vox pro-  
pria non sensu philosophico est sumenda sed iuridico, ut su-  
pra iurisdictio propria definita est. Sic iurisdictio magi-  
stratum non ita est propria, ut de illa pro suo arbitrio dis-  
ponere possent, quod eleganter ostendit b. HEINECCIVS in  
dissert. de locatione conductione iurisdictionis Cap. I. §. 15.  
*Ex notione dominii vero fluit, quod illi non competat rem  
quandam ex dominio, de qua pro suo arbitrio disponere  
nequit, per consequens, etiam magistratus, cum de sua po-  
testate pro arbitrio disponere nequeunt, suam potestatem non  
ex dominio habent.*

Porro, secundum legem Iuliam de ambitu, criminis  
reus erat, qui pro dignitate magistratus pecuniam dabat.  
Quam legem non cessasse, cessante libertate reipublicae ro-  
manae b. HEINECCIVS in supra allegata diss. de loc. cond.  
iurisd. eleganter demonstrauit. Sic ex principiis romanis  
gratis erat suscipienda dignitas magistratus eorumque iuri-  
dictio.

*dicitio.* Cum itaque magistratus non suo iure, sed iure summi imperantis suam habent potestatem, illamque gratis ex principiis romanis accipere debent; Ille vero ex mandato suam habere potestatem dicitur, qui iure alterius facultatem agendi habet illamque gratis in se suscipit, consequitur *magistratus*, secundum principia romani iuris, *ex mandato summi imperantis suam habere potestatem*.

Quodsi itaque verum est, potestatem, quae ex dominio alicui competit, maiorem esse illa potestate, quam quis non ex dominio sed ex mandato alterius habet; Si demonstravi, potestatem iurisdictionis patrimonialis alicui ex dominio competere; si probaui, hoc de magistratum iurisdictione dici non posse; sed deduxi ex principiis romani iuris, quod ex mandato summi imperantis suam habeant potestatem magistratus. Quid aliud ex his concludi potest, quam quod *Potestas iurisdictionis patrimonialis maior sit quam magistratum*. Haec sufficient, & gratulor tibi de specimine tuae eruditionis quod hodie dediti. Omnia quae prospera quæ fausta sunt **TIBI** euenant aequalia meritis tuis summis laudibus venerandis & euentus respondeat votis. Sic accipe hanc breuem gratulationem & gratulanten amare perge, qui, si **tvō** amore, dignus censeor  
& mihi met ipsi semper  
charior ero.

T A N T V M.



Ko 1984

601 P

ULB Halle  
007 434 006

3





	8
Inches	7
	6
Centimetres	5
	4
	3
	2
	1
Blue	1
Cyan	2
Green	3
Yellow	4
Magenta	5
Red	6
White	7
Black	8

## Farbkarte #13

B.I.G.

LA GRATVATORIA

QVA

PRAENOBLISSIMO

AT QVE

DOCTISSIMO

IO IO. WILHELMO

THYM

MAGDEBURGICO

DE

VINE IN AVGVRALI

RATVLATVR

PAVCIS QVE

QVOD

DISDICTIONIS PATRIMONIALIS

IT QVAM MAGISTRATVVM

EDISSERET

ARDVS LVPKE

HAMBVRGENSIS

E MAGDEBURGICAE

DVS PETRVS FRANCK, VNIV. TYPOGR.

vn 1745]